DISPVTATIO IVRIDICA,

DE MALEFICIS ET SAGIS, VT VOCANT, IN THESES ALIQVOT CONIECTA:

QVAS

DEO AVSPICE, CONSENTIENTIBVS AMPLISSIMIS IVRIDICÆ FACULTATIS Decano cæterisque Professoribus in Catholica & celebri INGOLSTADIENSIVM Accademia.

SVB PRÆSIDIO

NOBILIS, CLARISSIMI CONSVLTISSIMIQVE VIRI, DOMINI ANDREÆ FACHINEI, Iuris Cęsarij Professoris ordinarij, Præceptoris vt fidelissimi, ita summa obseruantia colendi.

TVEBITVR

IOANNES CHRISTOPHORVS FICLERVS SALISBVRGENSIS, L.L. Studiosus.

In Auditorio Canonistarum, 2 Aprilis. May

Johann Christoph Ficler son of the jurist and author Johann Baptist Ficler

Doub

SALISBURGENSIS IN AUGSBURG

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica WOLFGANGI EDERI.

ANNO clɔ. Iɔ. XCII.

Phys 930

PWL
W 7/IV/53

~~7440~~
~~F420~~
BK
A637195

M25 70

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO WOLFGANGO THEODORICO Archiepiscopo & Principi Salisburgensi, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, &c. Domino, Patrono & Mecænati meo Clementissimo.

INTER *omnia, Reuerendissime atque Illustrissime Princeps, Domine & Mecænas clementissime, quæ ab hominibus sceleratis perperam & nefariè admitti solent, nullum grauius esse potest quàm id, quod quasi per excellentiam, hoc est atrocitatem sceleris Maleficium appellare solemus. Quantumuis enim reliqua crimina grauia sint, ipsamq; Diuinam Maiestatem lædant, ita tamen ferè constituta sunt, vt in homines potissimùm cõmittantur, & in eorum iniuriam vel damnum attentata sint: Istud verò cum omni humano generi apprimè perniciosum existat, inprimis & rectà in summam Diuinæ maiestatis iniuriam & contumeliam tendit: postquam flagitiosissimi Malefici à* DEO *Opt. Max. cui & vitam & omnia se debere non obscurè intelligunt, nequissimè deficientes, atrocissimo Diuini nominis hosti nefario fœdere sese obstringunt, deuouent, totosq; consecrant: & non solum ipsius* DEI, *verum totius humani generis inimici & hostes fiunt. Adeò autem hæc Male-*

leficorum, Sagarum, & strygum (vt vocant) deterrima lues, hoc nostro seculo, quo omnia passim scelera & flagitia vigẽt, cumulatim erupit, atq; grassatur, vt nullo alio tempore maior querela fuerit audita. Idq; (vt opinor) ideò accidit, quod, cum antehac in eo errore quidam, etiam non infimæ sortis & authoritatis homines essent, Maleficium in rerũ natura non existere, sed ea quæ de Maleficis circumferuntur, imaginariè saltem & per illusionem callidissimi hostis fieri (quẽ quidem errorem non solum in concione populi, sed libris etiam editis defendere non dubitarunt) factum est, vt Iudices ab eo persequendo & extirpando cessarent, quod hominum nõ ineruditorum persuasu nullum esse credebant. Hunc autem errorem, cum innumeri ijq; horrẽdi effectus quos crimen hoc produxit, non solum ij qui à Ioanne Bodino alijsq; enumerantur, sed quos oculis nostris ipsi quotidiè cernimus, & partim damno nostro experimur, ex animis pleroruq; quibus sanum est iudicium, euulserit, meritò iudices summo studio omnibusq; viribus elaborare debent, vt in tanta Reipub. peste certissimoq; excidio persequendo segnes & desides fuisse non dicantur. Ad hoc enim faciendum ipsos impellere debet, non solum quod ideò gladij potestatem à DEO acceperint, vt in scelera animaduertãt, facinorosos è medio tollant, subditosq; sibi cõmissos indemnes conseruent: verum etiam quod hæc flagitia, cum per se grauia & pernicioſa non obscurè appareant, omni etiam iure tam Diuino quam humano grauissimis pœnis afficienda proclamẽtur, & ipsis quidem veteribus ethnicis seuera animaduersione digna visa fuerint. Quemadmodum enim ad cætera crimina extirpanda DEVS Opt. Max. iudices & magistratus olim per suos sæpius admonuit, sic multo apertius hoc Maleficij immane scelus ex finibus populi sui profligari & exulare: eos verò qui huiusmodi sceleris obnoxij essent, grauissimas pœnas luere voluit, adiecta quoq; excidij comminatione ijs, qui vel omninò non punirent Maleficos, vel in puniendo negligentes & tardi essent. Indignos enim censuit Dominus Maleficos qui hac vitali aura fruerentur, dum eos procul omni commiserationis affectu è medio tollendos seriò præcepit. Imo verò eum qui

Leuit. cap. 20. Maleficos non patieris viuere.

qui cum Malefico commune quid habuisset, aut consilia communicasset, abiectum à facie sua internecioni traditurum se minatus est: Quo tamen hodiè nihil ferè frequentius esse, imo passim impunè & liberè à Maleficis & Magis consilia requiri & capi videmus. Vnde fit, vt quod ab his per negligentiam & patientiã nostrã peccatur, vniuersi luere iustissimo Dei iudicio cogamur. Quinimo pithonicos & diuinatores lapidibus obruendos Dominus præcepit, quæ quidem pœna apud antiquos recepta, omnium ferè grauissima erat, vt à quibusdam scribitur. Ipsi vero Pontifices, prout ex sacris Canonibus videre est, nonné grauissimis quoq; censuris Ecclesiasticis Maleficos & incantatores feriunt? quos & Christi inimicos appellant & tanquam infecta putredine membra, à corpore Ecclesiæ abscindunt & resecant.

Exod. 22. Leuit. 19. & Deut. 18.

Leuit. 20.

26. causa perto. & extra de Sortileg. c. peruenit. 26. q. 5.

Iura autem Ciuilia adeo hoc genus hominũ flagitiosum abhorrent, vt eos nunc hostes cõmunis salutis, nunc ob facinoris atrocitatẽ Maleficos, mox naturæ peregrinos, postè humani generis inimicos & hostes appellent. Vnde non modo eos qui nefario pacto cum Dæmonibus inito, magicis artibus vsi elementa turbare, vitam insontium labefactare, & manibus accitis malis artibus inimicos suos conficere, contra salutem hominum, magicis accincti artibus, moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflectere, aut enarrandis somnijs artem aliquã diuinandi occultare non dubitant, seuerissimis legibus puniendos statuunt: Et iam capitis supplicio feriendos, gladioq; vltore prosternendos, iam ferali peste absumendos, &, quod grauius est, ignibus quoq; exurendos decernunt. Adeò autem Impp. hoc crimen exosum erat, vt nec ijs parcendum existimarent, qui dignitatibus & honoribus præditi, in comitatu suo & familia essent, quin & tormẽtis & pœnis grauissimis, eos quoq; adiudicarent. Vt enim in cæteris abominãdum videbatur tantum scelus, sic in personis eorum, qui in culmine honorum & dignitatum constituti essent, longè detestabilius apparebat. Siquidem, vt verissimè Iuuenalis.

c. si quis ariolos. c. sortes. c. si quis clericus. 26. q. 5. l. vlt. C. de Malefic. & Mathe. l. nemo. l. multi & l. etsi excepta C. eo. tit. d. l. multi & l. eorum. l. etsi excepta. eod. tit. d. l. eorum. & d. l. nemo. d. l. multi & l. nullus eod. tit.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Et vt graue erat in hominibus infimæ aut mediocris conditionis tantum scelus impunitum relinquere; sic longè grauissimum erat, nullaq; ratione suadendum, tam certam pestem in ipso Regis & Imp. cetu & familia (vbi sancta omnia esse debent) perferre, quin potius extirparetur ac diris deuoueretur. Vndè si quis magus vel magicis artibus assuetus, inquit Imp. Constantinus, qui Maleficus vulgi consuetudine nũcupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur vel mathematicus, aut enarrandis somnijs occultans artem aliquam diuinãdi, aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu nostro fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non effugiat.

In l. etsi excepta C. d. tit. de Malef. & Mathem.

Quam seueriter autem in hæc flagitia olim apud Romanos animaduersum fuerit, non obscurè docet exemplum Apronij Prætoris, qui Marcellino teste, Hilarium quendam morte mulctauit conuictum, quod filium Mago instituendum tradidisset, eumq; ex templo ad quod confugerat, rapi ad supplicium iussit. Quoniam par culpa esset, tam prohibita discere quàm docere, vt Impp. aiunt. Valens Imp. permultos qui de futuro Imperatore sortilegia fecerant, occidi iussit, vt refert Socrates & alij. Bassianus, eodem Marcellino teste, qui diuinos de futuro partu vxoris suæ, vtrum filium vel filiam progenitura esset, scisciatus fuerat, bonorum omnium confiscatione damnatus est. Sapientissimus deniq; Plato (vt paucis concludam) quemadmodum cæteros omnes maleficijs deditos, ita multo magis sacerdotes tanto scelere contaminatos morti adiudicauit, quod sciret Sacerdotibus ideò res sanctas commissas esse, vt eas ad laudem Superûm sanctè & innocuè tractarent, non autem ad res prophanas, multo verò minus ad flagitia nefariè ijs abuterentur. Plura hic in medium afferri possent, nisi Epistolæ modum excederent, & ab alijs etiam diuersim tractata essent.

Lib. 26.

l. culpa C. de Malef.

Lib. 4. Hist. Eccesiast. Sozomen. lib. 6. cap. 35. Niceph. lib. 11. cap. 45. Zonaras. in vita Valentis lib. 29.

Lib. 11. De Legibus.

Hisce omnibus consideratis, cum & hoc tempore ab omnibus passim iudicibus in eradicando hoc scelere laboretur, raptis hinc indè ad supplicia multis sagis & Maleficis mulierculis, variaq; in hoc crimine tol-

ne tollendo quæstiones suboriantur: Ego vero post annos aliquot in Iuris studio emensos, cum pro more huius inclitæ Academiæ, materiam aliquam ad disputandum accipere, nec domi semper delitescere, sed in publicum prodire cogitarem, non quidem spe præmij, aut honoris aufferendi, aut ingenij ostentandi gratia: sed animo potius contestandi, me omnibus viribus in id elaborare, vt expectationi optimorum virorum de me conceptæ, vel etiam in hoc, satisfacere queam: Non incongruum visum est imprimis Clarissimo Dn. Parenti meo, deinde etiam excellentissimo consultissimoq; viro, Dn. Andreæ Fachineo, Cæsarei Iuris apud Ingolstadienses Professori celeberrimo, Præceptori parentis quoq; loco colendo, vt mihi deliberanti, quam potissmum materiam ad disputandum acciperem, has de Maleficis & Sagis Theses componẽdi defendendiq; onus imponerent. Horum voluntati iustissimæ, & authoritati vt minimè refragarer, præterquam quod naturalis ratio dictabat, magis etiam incitabat & impellebat, quod idem Clarissimus Dn. Præceptor meus ad hoc negocij, non solum promouendum operam suam, sed etiam perficiendum præsidium pollicebatur. Vnde factum est, vt quamuis materiæ ipsius difficultas, quæ tam Theologicis, quam Philosophicis nodis inuoluta & implicata esse videtur, à proposito deterreret, eorum tamen, quos dixi, authoritate, & præcipuè Domini Præceptoris præsidio & auxilio nixus, non difficile mihi fore arbitrarer hanc prouinciam sustinere. Non tamen ita, vt etiam ea quæ ad Philosophiam Theologiamuè in hac materia pertinere videntur, curiosius examinarem & discuterem, sed quo iure in tali crimine persequendo & puniendo Iudici vtendum sit, indagarem. Mihi vero incumbere videbatur, hasce theses à me collectas Tuæ Reuerendiss. et Illustriss. Celsitudini, Dn. & Mecænati meo Clementiss. tanquam primitias eorum, quæ sua liberalitate & munificentia largissimè adiutus, in hac celebri Accademia studio & labore acquisiui, quantulacunq; illa sint perquam submisso animi studio dedicare. Vt ex ijs cognoscat, ea quæ hactenus in me liberalissimè collocauit, non omninò frustra, inq;

bene-

beneficij immemorem collocata esse. Et vt maximum vitium est ingrati animi, naturaliq; ratione ad remunerandum omnes tenemur, ideoq; maximè notandi ij, qui beneficia accepta non agnoscunt, nec vnquam remunerare cogitant: ita summè laudandi ij, qui beneficia largiti, ab ijs in quos beneficia profecta sunt, munuscula quæ pro virili etiam perexigua, grati tamen animi indicia, referre studeant, æquo animo & beneuolo accipiunt. Quamobrem vt ego summè vituperandus essem, meritoq; notandus, si post tot tantaq; à T. R. & Ill. D. accepta beneficia, nullum grati animi signum ederem: ita maxime laudanda erit ea ipsa, si perexiguum id, quo animum gratum et beneficij memorem ostendere conor, interim donec maioribus eum declarare licebit, benignè & clementer, vt facere solet, acceperit. Non autem solum, quam dixi, laudem & commendationem apud eruditos prudentesq; merebitur: sed nouo eoq; permagno beneficio, multo fortius quam antea, me sibi obstringet. Deum ter Opt. Max. oro, vt T. R. & Ill. D. Reipub. Archiepiscopatuiq; Salisburgensi, patriæ dulcissimæ, nobisq; quam diutissimè incolumẽ sartam tectamq; conseruet. Tuam vero R. & Ill. Dominationem obnixo studio rogo, vt me in suo Patrocinio & clientela alumnum subiectissimum obsequentissimumq;, porrò retineat, & velut in sinu pietatis atq; beneficentiæ suæ foueat. INGOLSTADII, Anno à Virgineo partu. M. D. LXXXXII.

Eleganter Vlpianus notat in l. sed etsi lege 6. consuluit ff. de petit. hæred.

R. mæ & Ill. mæ Celsitudinis T.

Alumnus submisso studio addictiss.

IOANNES CHRISTOPHORVS
FICLERVS Iurium Studios.

DE

DE MALEFICIS ET SAGIS DISPVTATIO IVRIDICA.

DE Maleficis & Sagis disputaturi, operæ precium putauimus, in quinque partes siue capita disputationẽ diuidere, vt in I. Quid sit Maleficium, quiúe Malefici dicantur: in II. Quis de crimine Maleficij cognoscere posßit siue inquirere, necnon de modo inquirendi: in III. Quæ sint indicia ad inquisitionem & capturã, quomodo reus capi & in carcere detineri debeat: in IV. Quæ sint indicia ad Torturam: in V. Quæ sint indicia ad condemnationem, & quibus pœnis afficiantur Malefici, disseramus.

Tractant de hoc argumento Interpretes nostri in tit. C. de Maleficis & Mathematicis, vbi nouissimè Petrus Binsfeldius: Idem Binsfeldius in Commentarijs de confessionibus Maleficorum,

Malleus Maleficarum, Ioannes Bodinus de Dæmonomania Magorum, & ante hos Paulus Grillandus de Sortilegijs, cum alijs qui Criminalia tractant, ex quibus multa & nos desumpsimus.

CAPVT PRIMVM.

QVID SIT MALEFICIVM, QVIVE MALEFICI DICANTVR.

THESIS PRIMA.

MALEFICIVM hic accipimus strictè, non autem latè pro quolibet opere malo, quod propterea sic definimus: Quod sit superstitio summè noxia & illusoria, qua homo Dęmonis ope & ministerio inuocato, quidpiam efficere aut consequi conatur.

II.

Superstitionem noxiam & illusoriam generis loco posuimus, quorum alterum, tàm ad personas, animalia & fruges, quibus Maleficio nocetur, quàm ipsummet Maleficia exercentem refertur: alterum tàm ad eos qui Maleficijs, diuinationibus, alijsque superstitionibus credentes decipiuntur, quàm eos qui dum se nonnunquam talia exercere putant, interim nihil minus agunt, sed à Dæmone falluntur & illuduntur.

III. Dæ-

III.

Dæmonis ope & ministerio inuocato (quod differentiæ loco ponitur) intellige, tacitè vel expressè. Expressè quidem verbis ad id directò accõmodatis: tacitè vero eo ipso, quod media illicita ad efficiendum quid superstitiosè adhibentur, & quæ naturalem vim ad id non habent, vel etiam licita & ad efficiendum disposita, adhibitis tamen superstitiosis quibusdam quæ ex sui natura nihil operantur, sed ex credulitate mediante Diabolo effectum sortiuntur.

IV.

Non enim sola semper inuocatione Dęmonis ea quę volunt efficere solent Malefici: sed signa quoque, characteres aliaque superstitiosa, & interdum etiam naturalem vim ad effectum habentia adhibent.

V.

Verbum efficere, tãm ad occidendum, perdẽdum, vitiandumque quàm ad sanandum, curandum & decipiendum refertur: Consequi autem, vel ad diuitias, vel ad voluptates, vel præteritorum futurorumque scientiam aliasque dotes pertinet.

VI.

Vltimo loco, Conatur, diximus. Vt enim quis Maleficus dicatur, sufficit vt ea quę diximus, conetur efficere aut consequi, licet effectus aut consecutio non sequatur: itaque affectus & conatus pro effectu hoc in casu sumitur.

VII.

Ex his colligitur Maleficum esse eum, qui Diabolicæ superstitioni deditus, noxia quæque, superstitiosa aut illusoria, Dæmonis instructione & ministerio, ad modũ supra dictum componit & exercet.

VIII.

Noxia inquam, Superstitiosa & illusoria, propter species Maleficij quas exercent, Amatoriam & Veneficam, quę plerumque noxiæ sunt ac damnosæ, & Diuinatoriam, quæ licet aliquando veritatem aperiat, sæpissimè tamen mera somnia, illusiones & superstitiones continet.

IX.

Quæ quidem species Maleficij sunt principales, ad quas cęteræ, quarum complures numerantur, tanquàm subalternæ reducuntur.

X.

Sciendum autem est, Maleficorum duplicem esse sectam: vnam eorum, qui abnegata Christi fide, expressam Diabolicæ superstitionis professionem faciunt, eique se totos consecrant: Altera eorum, qui ex tacito pacto & inuocatione Dæmonis Maleficia exercent: vel etiam expressa inuocatione, non tamen facta professione, vt priores.

XI.

Expressa quidem illa professio & consecratio, cum DEI abnegatione pluribus modis fieri solet.

XII.

Aut enim fit solenniter & publicè, tempore scilicet, quo Dæmon facta Maleficorum seu Sagarum vniuersali congregatione & conuentu, certis nocturnis horis, locis & temporibus, professiones eorum suscipit.

XIII.

Aut fit priuatim soli Dæmoni, extra dictos Maleficorum conuentus & congregationes.

XIV.

Et licet sint, qui putent mulieres Sagas corporaliter ad huiusmodi congregationes & conuentus, aliaque loca, in quibus Diabolus esse dicitur, non deferri, turpesque ibi saltationes instituere, & alia nefanda perpetrare, veluti Ponzinibius & alij quidam: Nos tamen contrarium sentimus, communiori ac veriori, experientia quoque comprobatę sententię ad hærentes.

XV.

Quanquam non negemus, eas quandoque etiam non in corpore & verè ad ea loca deferri, licet se verè delatas esse imaginentur & putent.

XVI.

Aut denique fit professio non quidem Dęmoni ipsi, verum alteri eandem superstitionem professo, qui Dæmonis loco eam suscipit, promittens miranda facturum cognituramúe eum, obsequio & opera ipsius Diaboli.

XVII.

Ex tacito pacto & professione maleficia exercere dicuntur, qui licet Christi nomini non renunciauerint, nec potestati Dęmonis sese dederint, superstitiosis tamen factis, signis & dictis, quæ ad Maleficia illicito modo adhibent, tacitè paciſci cum Dæmone, & eum inuocare dicuntur: & ideo professioni quoque Maleficorum addicti habentur.

CAPVT SECVNDVM.

Quis de Crimine Maleficij cognoscere siue inquirere possit, nec non de modo inquirendi.

XVIII.

QVIS criminis huius inquirendi puniendique competẽs sit iudex, ex eo patebit si cognoscatur cuius fori sit. Cum itaque Maleficiũ mixti fori sit, tam Ciuilis quam Canonici & Ecclesiastici, non dubitamus, quin à seculari magistratu, inquiri & puniri possit ac debeat, perinde atque ab Ecclesiastico.

XIX.

Nec displicet sententia eorum, qui dicunt iudicem laicum de hoc crimine cognoscere ac iudicare posse, etiam quando hæresin manifestam continere videtur, quam sententiam consuetudine vsuque forensi receptam videmus, quod indistinctè puniantur malefici à iudice seculari.

XX.

Inquisitionem autem duobus modis institui posse arbitramur in hoc crimine, sicut & in alijs, de quibus iudex sua authoritate inquirere solet.

XXI.

Primo quidem generaliter, vt Magistratus edictũ publicè proponat, quo mandet omnibus subditis, sub certa pœna, vt quicunque sciat, viderit, vel audiuerit personã aliquam esse Maleficam, diffamatam vel suspectam de hoc crimine, aperire iudici ac denunciare debeat, intra certum tempus.

XXII.

Altero modo ſpecialiter, vt magiſtratus in ſpecie inquirat in perſonas, contra quas legitima ſunt indicia.

XXIII.

Modus autem ſeu forma inquiſitionis in hoc crimine, eadem eſſe poterit, quæ in cæteris criminibus eſt conſueta. Nec enim in tali inquiſitione iudex ad aliquas conſtitutas leges aut ſolennitates adſtringitur.

XXIV.

Illud ſolum attendere debet, vt ad inquirendum, & aſſumendas informationes contra certam aliquam perſonam, prius non accedat, niſi habitis indicijs legitimis, quibus adductus, merito ſibi putet ad inquiſitionem deueniendum eſſe.

CVPVT TERTIVM.

Quæ ſint indicia ad Inquiſitionem & capturam: quomodo reus capi debeat, & in carcere detineri.

XXV.

VT igitur videamus, quibus indicijs & argumentis iudex induci poſſit, ac debeat, ad inquirendum contra perſonam aliquam, præmittimus.

XXVI.

Indicium, ſecundum Iuriſconſ. noſtrorum regulas, aliud eſſe

esse necessarium, aliud verissimile siuè probabile, aliud leue.

XXVII.

Necessarium est ex quo efficimus quod intendimus, ideoque propter vim & authoritatem meritò concludens probatio dicitur, ad effectum, vt reus huiusmodi indicio conuictus, non modo quæstionibus subijciatur: verum etiam condemnetur.

XXVIII.

Indicium verisimile dicitur indicium proximum delicto, vigore cuius reus quæstionibus subijciendus est.

XXIX.

Indicium vero leue, quod & non repugnans dicitur, suspicio quædam est ac præsumptio, quæ absque alijs adminiculis non facit, vt reus torqueri possit, iudici tamen ad inquirendum viam aperit.

XXX.

Primo itaque Denunciatio vel ab Officialibus, vel alijs quibuscunque, siue ad id mandato Magistratus requisitis, siue sponte reum huius criminis ad iudicem deferentibus facta, legitimam ad inquirendum causam præbet.

XXXI.

Deinde Malefici in tormentis de aliquo vel aliqua, quem vel quam eiusdem criminis consortem asserit, testificatio, etiam sine alijs adminiculis, contra personam nominatam indicium ad inquirendum facit.

XXXII.

Nisi videatur iudici ea testificatio minus verisimilis ex circumstantijs aliquibus rerum vel personarum.

XXXIII.

Præterea si apud aliquam personam reperiantur venena recondita: aut visa sit in limine ostij domus siue stabuli alicuius, vel alibi fodere, ac ibi venena aut simile quid abdere, vnde vel hominibus vel iumentis limen illud calcantibus damni quid euenerit vel euenire possit.

XXXIV.

Item si penes aliquem reperiantur hostiæ, buffones, membra humana, imagines cereæ quæ acubus transfixæ sunt, iustè procedet iudex ad inquisitionem contra eum, Aut si chyrographum reperiatur quo se Dæmoni abiecta Christi fide obstrinxerit,

XXXV.

Illud etiam magnum indicium est si visa sit mulier vel audita minari alicui malum, aut tangere aliquem sano corpore, qui postmodum lento morbo confectus aut moriatur, aut membrorum suorum vsum amittat.

XXXVI.

Si item compererit iudex aliquam personam huiusmodi malum paratum per inuocationem Dæmonis tollere & auertere, ad inquisitionem contra eam procedere poterit.

XXXVII.

Item si quis dæmonem inuocare audiatur, ad quid uis faciendum.

XXXVIII.

Infamia quoque quæ non à maleuolis & inimicis originem habuerit, iudici contra personam infamatam inquirendi sufficiens causa erit. Et multo magis si testes aliqui sint contra aliquem testificantes, quod viderint eum linire

animalia quæ postea mortua reperta sint, aut infantes, aut alios.

XXXIX.

Quod vero quidam diffamationem adeo requirunt, vt inquisitionem contra reum formari non posse existiment nisi diffamatio præcedat, quantumuis alia indicia subsint; in eo illis non assentimur: sed habitis legitimis indicijs, ad inquisitionem etiam cõtra non diffamatum procedi posse asserimus.

XL.

Omnia denique alia indicia iudici hoc in maleficio attendenda sunt, quæ in alijs criminibus ad inquirendũ viam aperiunt.

XLI.

Illud in quæstionem reuocari potest, vtrum antequam inquirat siue inquisitionem formet iudex contra Maleficum, necesse sit constare de corpore Maleficij, vt vocant.

XLII.

Nos communem distinctionem amplectimur; Vt si de tali Maleficio denunciatus vel diffamatus sit, quod post se vestigium relinquat, veluti si Maleficus occidisse hominem dicatur, aut aliud perpetrasse delictum simile cuius apparere possit vestigium ac signum, constare debeat inprimis iudici de corpore eiusmodi delicti, ad hoc vt possit inquirere contra talem eo nomine, quod hominem occiderit aliudue delictum patrauerit cuius vestigium reperiri potest.

XLIII.

Si vero tale sit crimen cuius vestigium non appareat, veluti si simpliciter in maleficorum cœtu esse dicatur, aut professione facta præstitisse homagium ac fidem Diabolo Deum-

Deumque negasse, tunc ad inquisitionem procedi posse iudicamus: eoquè in casu querelam, denunciationem, infamiam & alia indicia sufficere arbitramur pro corpore delicti, quo ad inquisitionem.

XLIV.

Et hæc omnia quæ ad inquirendum contra aliquem de crimine Maleficij, iudici ansam & indicium præbere diximus, imo etiam aliquanto leuiora ad capturam sufficere poterunt.

XLV.

Statim igitur quamprimum legitima habentur indicia, capiendi sunt criminis huius suspecti non habita distinctione sexus, & eo quidem modo quo alij capiuntur.

XLVI.

Non enim placet nobis quorundam superstitio, qui eiusmodi reos tum maxime capiendos esse existimant cum in lecto iacent, curamque habendam ne terram attingere permittantur: quia experientia comprobatum sit eosdem, cum primùm capiuntur à ministris Iustitiæ & magistratus, magnopere consternari, totamque ferè artem diabolicam cessare.

XLVII.

Suadent tamen aliqui Doctores eos statim atque capti sunt, examinandos esse, etiam antequam ducuntur ad carcerem, quia tunc melius veritas inueniatur, & indicia habeantur ex vultu & responsionibus ad interrogata: quod nos etiam approbamus.

XLVIII.

Et notandum est Maleficos non à ministris Iustitiæ solum & officiarijs, sed quibuscunque etiam deprehendi, capi & iudici tradi posse.

XLIX.

Neque domus tutum Malefico erit receptaculum, neque templum, cæmiterium, locusque sacer asylum, quin ex eo non iniuria tolli abstrahique possit.

L.

Postquam vero capti & examinati sunt, docent eos solos relinquendos non esse in carcere, si commodè fieri possit, sed vel cum custodibus, vel cum socio alterius criminis: Quod tamen prudentiæ iudicis relinquendum putamus.

CAPVT QVARTVM.

Quæ sint indicia ad Torturam.

LI.

CVM post inquisitionem, Reique inficiationem, ad Torturam non nisi habitis legitimis indicijs Iudices deuenire soleant, videndum est, quæ illa sunt indicia quibus iudex ad torquendum huius criminis reum adduci possit & debeat: quod antequàm fiat præsciendum est.

LII.

Propter hoc crimen Maleficij quemlibet, nulla dignitatis habita ratione torturæ subijci posse: licet aliàs in tortura personarum & dignitatum ratio haberi soleat.

LIII.

Deinde notanda quoque communis in materia criminali est regula: In huiusmodi & occultis criminibus, quale hoc

hoc est Maleficij occultissimum, proniorem promptioremque iudicem esse debere ad torturam: Nimirum ob difficilem probationem eorum quæ in occulto fieri solent.

LIV.

Non tamen initium quæstionis à tortura sumere, sed argumentis & indicijs primum verisimilibus probabilibusq; vti debet, quibus veluti certis ductus ad tormenta putauerit esse veniendum. Conditionis quoque & qualitatis personarum ratio, & torturæ quæstionisque modus ei habendus est, ita vt torturæ subiectus vel innocentiæ vel supplicio saluus esse possit.

LV.

Quæ igitur indicia ad torturam sufficientia sint videamus. Qua in re licet vniuersale quid tradi non possit propter casuum & personarum diuersitatem, vt Dd. tradunt, tres tamen proponemus regulas, quæ in hoc crimine obseruandæ sunt.

LVI.

Prima est: Omnia indicia quæ ad torturam regulariter sufficiunt in alijs criminibus, multo magis in hoc crimine quod difficillimæ probationis est & grauissimum perniciosissimumq;, sufficient. Cum, vt supra dictum est, in his quæ difficulter probari possunt, promptior iudex esse debeat ad torquendum reum, quam in alijs.

LVII.

Itaque mala fama in hoc genere delicti, rei inquisiti mendacia, vacillationes, trepidationes, & alia quæ aut simul iuncta omnia, aut etiam non omnia, regulariter aliàs iudici præbent indicium ad torturam, in hoc crimine absq; dubio sufficientia nobis esse videntur.

LVIII.

Sic etiam testis vnus integer & omni exceptione maior, de viso deponens, Reum torquendi causam dabit.

LIX.

Quemadmodum & cõfessio extra iudicium ab ipso Reo facta, vt in alijs sic etiam in hoc crimine, ad torquendum confitentem sufficiens indicium facit.

LX.

Et multo fortius, si Reus in ipso actu ad delictum proximo deprehensus sit: Vt si persona visa sit hominem integrum & sanum leuiter percutere, aut linire, qui vel statim mortuus concidat, vel subito morbo & fascinatione corripiatur.

LXI.

Secunda regula est: Si concurrat diffamatio vel aliud indicium, & simul reperta fuerint apud diffamatum venena, vel hostiæ, vel buffones vel alia, de quibus supra 3. cap. . quæ etiam per se ad torturam non sufficerent, procul dubio locus erit tormentis.

LXII.

Sicuti in simili dicitur: Si res furto sublata reperiatur penes eum qui sit malæ famæ, id indicium esse sufficiens ad tormenta, vt est comunis sententia D. d.

LXIII.

Tertia regula: Confessio siue attestatio & nominatio complicum seu consortium eiusdem Maleficij, indicium faciunt ad torturam regulariter contra denunciatum.

LXIV.

Hic autẽ articulus de Maleficorum confessionibus, quoniam

niam magni momenti est,& nihil ferè frequentius quam vt Malefici & Sagę in tormentis,non de suis tantum,sed etiam alienis factis confiteantur, fusius nobis tractandus esse videtur: An,nimirum, quæ & quanta fides huiusmodi cōfessionibus & denunciationibus adhibenda sit.

LXV.

Qua in re non immerito quis quærere posset an Sagæ & Malefici torturæ subiecti,de aliorum quoque factis à iudice interrogari possint? Cui nos respondemus posse, non obstante Iuris regula qua cauetur. Ne de se confessi super aliorum conscientijs interrogentur.

LXVI.

Et Iudicem in huiusmodi crimine obligari de se confessum,de socijs interrogare,& reum teneri ad denunciandum si quos sciat,plerique Theologorum & I C.docent. Quorum & nos sententiam amplectimur: Et ipsa ratio officij iudicis,virtute cuius obligatur vt prouincia purgetur à malefactoribus,hostibusque communis salutis: & legis naturalis vinculum quo etiam priuati tenentur aliorum mortem & pericula,si possunt,præcauere,hoc ipsum suadent.

LXVII.

Aduertere tamen iudex ac ea prudentia & discretione vti debet, vt in huiusmodi quæstione & inquisitione sociorum criminis, non quærat seu interroget in specie vel indiuiduo de aliqua persona singulari,nisi aliud indicium ad inquirendum moueat: quia hoc potius esset officium suggerentis quam interrogantis: Sed in genere quos habeat socios sui sceleris & vt eos nominet, reum torturę subiectum admoneat.

LXVIII.

Ex quibus omnibus concluditur Maleficis seu Sagis de se confessis credendum esse contra participes criminis, quia si nulla eis adhibenda esset fides, non esset ratio quare ipsi obligarentur denunciare: & frustra iudex id teneretur quærere cui fidem adhibere non liceret.

LXIX.

Certum tamen est tantam fidem huiusmodi denunciationibus & confessionibus Maleficorum non adhiberi, quanta hominibus integræ famæ opinionis & vitæ adhiberetur, cum ex proprij criminis confessione aliquo modo eorum in opinione hominum læsa sit fides.

LXX.

Vnde nec illis assentimur omnimodo, qui tantam fidem illis tribuendam existimant, vt contra socium denunciatum per se absq; alijs indicijs & adminiculis, indistinctè indicium ad torturam efficiant: Sed distinctione adhibita sententiam eorum moderandam esse censemus: Vt confessio vnius socij in Maleficio contra alium, sola & per se sit sufficiens ad inquirendum de tali crimine.

LXXI.

Si vero aliam habeat præsumptionem adiunctam vel indicium, tum demum talis confessio siue denunciatio faciat indicium sufficiens ad torturam.

LXXII.

Vnde nec dictum mandatarij solum sine alia præsumptione vel indicio sufficiens est ad hoc, vt mandans possit subijci tormentis. Hoc enim si admitteretur, in potestate cuius-

cuiuslibet ſceleſti hominis eſſet vt vir probus & innocens tormentis ſubijceretur, quod impium eſſet & abſurdum.

LXXIII.

Prudens igitur & circumſpectus iudex habita confeſſione vnius Malefici contra participem criminis non nimis præceps eſſe debet ad torquendum huiuſmodi denunciatum: ſed caute inquirere de eius ſtatu & conuerſatione, ac indagare an in eo etiam alia reperiantur indicia, quæ ad torturam ei ſufficere videantur.

LXXIV.

Quot vero & quæ indicia cum denunciatione conſocij ad effectum torturę concurrere debeant, non inter omnes conſtat. Communis eſt opinio quod per vnum indicium, ſi ſit proximum procedatur ad torturam: Vt ſi ſit vnus teſtis bonus de viſu deponens vel confeſſio extra iudicium, vel res reperta apud reum præſumptum, aut ſimile quidpiam ex ijs quæ ſupra retulimus.

LXXV.

Sed quia hac in re non poteſt dari certa regula propter varios caſus emergentes, ideo iudicis arbitrio relinquendum exiſtimamus an vnum ſufficiat indicium vel plura, vel quale: Is conſideratis circumſtantijs rerum & perſonarum, necnon legum decretis & Doctorum ſententijs, adhibito quoque peritorum conſilio arbitrari debet, quod iuri & æquitati conſonum erit.

LXXVI.

Notandum eſt hic ſecundum Dd. ad hoc vt dictum ſeu denunciatio ſocij faciat indicium ad torturam, requiri vt in tormentis facta ſit. Cum enim denuncians infamis & vilis ex confeſſione proprij criminis factus ſit, huiuſmodi defectum tortura purgandum eſſe, exiſtimant.

LXXVII.

Et ſatis eſt modo metu tormentorum confiteatur, cum hæc in iure æquiparentur. Id autem fieri ſolet non ſolum quando actu tortura adhibetur, ſed etiam quando reus in locum tormentorum deductus eſt, vel quando minę tormentorum præcedunt.

LXXVIII.

Et ſunt qui ad hoc vt dictum ſocij faciat indicium contra ſocium, requirunt cum iureiurando denunciationem fieri, vel ante torturam vel præſente ipſo contra quem deponitur: quorum tamen ſententia nobis non probatur.

LXXIX.

Cum enim iura & leges in eo teſte iusiurandum requirant, qui plenè probare debet, hic autem denuncians non plenè probet, vt ex prædictis patet, hunc rigorem non attendi, ac proinde denunciationem ſocij etiam ſine iuramento indicium facere, cum alijs aſſerimus.

LXXX.

Hoc tamen à prudente iudice qui Deum & Iuſtitiam ob oculos habere debet, ſemper faciendum eſt, vt quando reus cõſortes criminis, in caſibus quibus tenetur, nominat, eum admoneat, vt propriæ memor ſalutis, nemini iniuriam faciat: Imo & interrogare poterit reum an in animam & conſcientiam ſuam velit recipere, ſic ſe rem habere.

LXXXI.

Hic ſeſe offert grauis & apud Dd. non admodum trita quæſtio: Si Maleficus intortura de conſortibus ſecundum iuris & æquitatis formam interrogatus, denunciauit duos pluresúe, & confeſſionem poſtmodum ratam habeat: ſed tandem ſententia lata dum eſt in manibus carnificis, & ad executionem proceditur, eoſdem iterum excuſet: ſiue præſenti-

sentibus illis dicat: habeo vos pro bonis & probis: Nunquid talis confessio in extremis facta primam confessionem in tormentis & iudicio elidat, ita vt non sit amplius indicium contra denunciatos?

LXXXII.

Et sunt qui negent priorem confessionem per hanc posteriorem tolli, dicantque huiusmodi confessioni quæ in extremis fit, standum non esse.

LXXXIII.

Nos existimamus hac distinctione responderi non incongruè posse: si quidem aliud indicium contra denunciatos non appareat præter denunciationem morientis, ex ea reuocata contra illos procedi non posse, nec ad inquisitionem: cum maxima sit & fortissima iam iam morituri excusatio, qui tunc maximè salutis suæ memor esse præsumitur.

LXXXIV.

Si vero alia quoque adsint indicia quæ priorem confessi denunciationem adiuuent, nihil morante morituri reuocatione & excusatione, contra denunciatos ad torturam procedi posse, idq; non tam virtute denunciationis, quàm indiciorum reliquorum.

LXXXV.

Et quæ hactenus dicta sunt ad denunciationem vnius tantum Malefici vel sagæ pertinent: Nunc videamus quid iuris sit quando plurium contra vnum pluresué denunciatio extat. Qua in re sit regula.

LXXXVI.

Confessio duorum vel trium contra aliquem vel aliquos criminis participes, regulariter in hoc crimine Maleficij indicium facit ad torturam, etiamsi alia non sint indicia aut præsumptiones.

LXXXVII.

Hæc regula intelligenda est si duo pluresuè socij in tormentis de se confessi, simul, vel succesſiue alium vel alios denuncient, & in ea confessione constantes perseuerent, ita vt ex circumstantijs adiunctis non possit præsumi eos mentiri. Tunc enim sufficientia sunt indicia ad torquendum denunciatum.

LXXXVIII.

Et multo magis si eandem confessionem sæpius repetant & geminent in tortura & postea, quæ geminatio magnam animi & propositi firmitatem arguit.

LXXXIX.

Nec frustra in regula posuimus, regulariter, cum possit esse casus in quo tam paucæ denunciationes nõ sufficerent: Vt si vir magnæ authoritatis & aliqua potestate præditus à subditis tanti criminis reus denunciaretur. Præsumi enim posset odio id factum esse, vel aliam ob causam, præsertim si nullæ aliæ adessent præsumptiones.

XC.

Notandum igitur in huiusmodi denunciationibus si apertè vel probabiliter constaret aliquem odij & inimicitiarum affectu alterum criminis consortem & participem asserere, testimonium eius recipiendum non esse.

XCI.

Quod de capitali vel magno saltem odio & inimicitijs dictum volumus.

XCII.

Quare iudex vbi inimicitiarum suspicio esse potest, nec ad credendum nimis pronus esse debet, nec etiam propter quamlibet leuem affectionem denunciantis, prætextu inimicitiarum quęstioni fidem detrahere: Sed causa cognita fidem habere aut non habere.

Sed

XCIII.

Sed hic quæri ſolet, an etiam Minoris teſtimonium in noſtra materia contra Maleficum poſſit facere indicium ad torturam, cum conſtet quod Maleficæ aliquando pueros puellaſuè ad conuentus ſuos ducant, vel alias etiam in eorum conſpectu maleficia exerceant? Et ſunt qui exiſtimant teſtimonium Minorum facere indicium ad torturam licet non eo modo torqueri minorem quo maiores ſolent, ſed minis, ferula aut virgis terreri velint.

XCIV.

Cum tamen leges Ciuiles de minoribus 14. annis quæſtionẽ in caput alterius haberi prohibeant, nec etiam ſine tormẽtis eiſdem credi velint, propter ætatẽ quę aduerſus aſperitatem quæſtionis eos interim tueri videtur, ſuſpectiores quoque eoſdem facit, ad mentiendi facilitatem, vt eleganter Diuus Pius apud Calliſtratum: exiſtimamus eos quidem examinari poſſe ad accipiendum inſtructionem pro latiori inquiſitione, eorumque dicta aliquam præſumptionem facere, quæ ſi alijs indicijs iuuetur, ad torturam ſufficiat.

XCV.

Et quod hactenus dictum eſt de indicio per denunciationem Maleficorum, duorum videlicet vel trium denunciationem ad torturam denunciato inferendam ſufficere, non in maſculis tantum ſed etiam in fœminis locum habet.

XCVI.

Licet enim aliqui ad reum torquendum non minus quã trium vel quatuor fœminarum denunciationem requirant, quod minor fides mulieri quam viro adhibenda ſit: Cum tamen hoc crimen vt plurimum à fœminis committi ſoleat, & de Iure Ciuili mulier regulariter, admittatur ad teſtificandum in cauſis criminalibus etiam capitalibus, indiſtinc-

étè quoque putamus duarum vel trium fœminarum, non minus quam virorum denunciationem sufficere.

XCVII.

Quamuis autem videantur esse aliqui denunciationibus sociorum criminis tantum tribuentes, vt non ad torturam solum, sed etiam ad condemnationem denũciatorum sufficere velint: Nobis tamen in re tam periculosa à communi sententia & praxi Dd. recedendum non esse videtur: sed tutius esse existimamus asserere, huiusmodi denunciationes, secundum regulam supra positam, ad torturam solummodo, non etiam condemnationem indicium facere.

XCVIII.

Cuius ratio esse potest: Quia ad condemnandum aliquem requiruntur probationes luce clariores, ad inquirendam autem veritatem per torturam, minores sufficiunt probationes. Cum igitur testes isti socij criminis tantæ fidei nõ sint, vt necessariam ac luce clariorem probationem eorum dicta faciant (quia contra eos sit exceptio aliqua) sequitur eorum testimonia ad condemnandum quempiam non sufficere, sed ad latiorem veritatis indagationem per torturam.

XCIX.

Illud tamen ex communi Dd. sententia verum est, si multiplicentur huiusmodi denunciationes & testimonia, posse quem condemnari, quod in occultis & ex natura sui secretis atque atrocibus (quale hoc Maleficij crimen est) probatio per coniecturas & multa indicia obtineat ad condemnationem.

C.

Licet & illud verum sit quando aliquis condemnatur ex præsumptionibus, indicijs & coniecturis, non debere ei imponi ordinariam delicti pœnam, sed aliam mitiorem.

CI. Quid

CI.

Quid vero si Incantator aut diuinator abaliquo, qui aut rem furto, aut iumẽtum hominemué sibi coniunctum maleficio amisit, consultus, facta coniuratione & inuocatione Dęmonum, talem furem rei esse seu hominem iumẽtumuè maleficio destruxisse asserat: an ex talidenunçiatione ad capturam & torturam deueniri possit?

CII.

Ad hanc quæstionem indistinctè & determinatè respondetur: denunciationes huiusmodi, tanquàm illicitas indicium nullum facere: ideoque expresso iure prohibitum ne ex denunciatione Incantatorum aut Diuinatorum quis capiatur & torqueatur: Imo vt tales, si quid præsumpserint debitis pœnis afficiantur. Cum longè alia sit ratio in denunciatione sociorum Maleficij, qui de eo quod in loco, tempore, modoque viderunt, deponunt; hi vero quæ deponunt non realiter viderunt, nec scire possunt nisi à Diabolo, à quo cognoscere non est licitum. Et de Maleficorum confessionibus hactenus.

CIII.

In quibusdam regionibus & prouincijs antiquitus ad sumenda indicia vsum fuisse probationis per aquam frigidam comperimus, idq; in hunc modum: Vt Maleficus vel Malefica præsumpta, ligatis manibus pedibusque in flumen vel lacum deiecta, si enatasset, vehementius de Maleficio suspecta ad tormenta deduceretur: sin vero submersa fuisset, tanquam innocens absolueretur.

CIV.

Hæc consuetudo licet ab vno aut altero approbata, cum expresso iure Canonico tanquam superstitiosa & opus quoque magicum comprehendens prohibita, nec non communi Dd. sententia explosa sit: nos quoque grauissime existima-

ſtimamus peccare eos, nõ ſolum iudices qui aliquem huiuſmodi probationem ſubire coëgerint: verum etiam qui effectum ineſſe huiuſmodi purgationi ad probandam innocentiam ſeu culpam credunt.

CV.

Et cum eadem ſit ratio probationis per ferrum candens, aut aquam feruentem, idem quoq; de ea ius, ſecundum Canones & rectam rationem ſtatuimus: Vt nimirum huiuſmodi probationes tanquàm illegitimæ, peruerſæ, ſuperſtitioſæ, quibus nimirum DEVS tentari videtur, nullatenus admittantur.

CVI.

Ex quibus infero: Poſtquam probatiooes ſeu purgationes iſtiuſmodi iure & ratione reprobatæ & reiectæ ſint, eas nullum indicium facere.

CVII.

Aliud igitur indicium haberi ſolet, quod in corporibus eorum qui huius criminis ſuſpecti ſunt, quandoq; ſtigmata & cicatrices reperiantur, quæ à Dæmonibus inuſta & illata exiſtimantur. Sed cum dictis ſtigmatibus nullo iure quicquam certi ſtatutum ſit operæ precium erit penitius inquirere quanta fides illis adhibenda ſit.

CVIII.

Cuius quęſtionis cardo in eo vertitur an eiuſmodi ſtigmata faciãt indicium ad inquiſitionem vel capturam tantùm, an etiam ad torturam: Item an etiam ad condemnationem: an vero nullum proſus indicium & argumentum pręſtent.

CIX.

Ad cuius intelligentiam præmittimus: Cum naturali ratione abſque vllo crimine fieri poſſit, vt ex vlcere vel aliunde inuratur cicatrix in corpore alicuius; non quodlibet

ſtigma

ſtigma ſiue cicatricem in corpore alicuius inuentam indicium facere. CX.

Vt igitur ſtigma tale ſit, quale in mulieribus, præcipuè Sagis, & alijs quoque Maleficis reperitur à Diabolo inuſtum, tres habere debet qualitates ſeu conditiones, ſicut cauſarũ iſtarum experientia vſuſq; docuit & docet.

CXI.

Primo illa pars corporis in qua eſt ſtigma debet eſſe inſenſibilis: Secundo eius duritiei vt penetrari facile non poſſit: & tertio ſanguinem ſi perforetur emittere non debet. Ita vt ſi acu perforetur, non ſentiatur dolor, non appareat ſanguis, nec penetratio omnimodo fieri poſſit. Hæc enim quoniam regulariter ex vlcere nõ eueniunt, ad ſtigma Diabolicum referuntur, concurrentibus alijs ſuſpicionibus contra inquiſitum.

CXII.

Nec admittimus hic quod Bodinus ſcribit eiuſmodi cicatricis ſeu ſtigmatis ſignum eſſe ad inſtar pedis leporis. Id enim repugnat experientiæ qua conſtat eiuſmodi cicatrices & ſtigmata, quantum ad apparentiam & colorem alijs cicatricibus non eſſe diſſimilia.

CXIII.

His præmiſſis omnino ſtatuimus aſſerendum non eſſe ſtigma tale ſiue cicatricẽ, ijs quas diximus qualitatibus præditam, nullum prorſus indicium facere & inanem penitus eſſe. Id enim rationi & experientiæ aduerſatur.

CXIV.

Rationi quidem quia hæc ſtigmata ex ordinario naturæ curſu & euentu in corporibus non oriuntur, vt Medici omnes atteſtantur: ideoque ad ea generanda neceſſe eſt cauſam aliam ignotam concurrere, nempe Dæmonis operam.

CXV.

Experientiæ vero, quia sæpenumero reperta sint in corporibus reorum huius criminis eiusmodi stigmata, quos cõfessos esse constat, quod Diabolus ea impresserit.

CXVI.

Nec tamen volumus eiusmodi stigmata necessarium indicium facere, ita vt conuincatur ex illis reus delatus ac proinde condemnetur, cum certi esse non possimus an Diabolus ea impresserit, an vero aliundè prouenerint: Et quia fieri potest, vt in indagãdis qualitatibus cicatricis, carnifex (qui ad id adhiberi solet) vel erret, vel fingat; cum eius intersit propter lucrum in multos hanc ob causam inquiri.

CXVII.

Sed nec ad torturam sufficere stigmata perse sola absque alijs adminiculis contra personam aliàs non suspectam de tali crimine, dicimus. Cum omni Iustitiæ repugnet ex attestatione vnius carnificis ac viliſſimi hominis, qui asserat stigma tale esse, quemquam tormentis subijci: & nec in atrociſſimis quidem delictis ad torturam sine legitimis indicijs procedi possit.

CXVIII.

Quia vero casus iste vix euenire potest, quod apud aliquẽ reperiantur à iudice stigmata, qui aliàs non sit diffimatus de Maleficio, aut alio indicio laboret: Cum non possit Iudex absque vllis indicijs & suspicionibus corpus alicuius inspicere, vt stigma tale requirat: Ideo in hoc proposito regulam constituimus.

CXIX.

Concurrentibus cum stigmate alijs indicijs, verbi gratia, mala fama in hoc delicti genere, vel denunciatione socij criminis, qui cõstanter in ea delatione ac depositione perseueret,

ret, aut mendacijs, vacillationibus Rei, aut alijs verisimilibus Reum torturæ subijciēdum esse: Secus autem non concurrentibus.

CXX.

Cum adiuncta alijs indicijs stigmata probabiliter iudici suadere possint Reum esse culpabilem: sola nihil vel parum efficiant. Et de indicijs ad torturam hactenus.

CAPVT QVINTVM.

Quæ sint indicia ad condemnationem & quibus pœnis afficiantur Malefici.

CXXI.

AD condemnandum Reum regulariter sufficit eius in iudicio facta crimimis confessio.

CXXII.

Quod tamē intelligitur primo si ex legitimis indicijs ad inquirendum & interrogandum Reum processum sit.

CXXIII.

Vnde qui ad probationem aquæ frigidæ seu feruentis, aut ferri candentis torturæ subiecti, Maleficium cofitentur, ex ea confessione tanquam nullo legitimo indicio præcedente elicita, cum talis probatio iuri & rationi repugnet, vt suprà dictum est, condemnari nullatenus possunt.

CXXIV.

Deinde si Maleficus confessus sit occidisse se hominem, vel animalibus nocuisse, aut alia damna dedisse, aliter quoq;

quam per confessionem, constare debet ea damna & delicta verè commissa esse.

CXXV.

Hæc enim est communis omnium I C. Sententia, quod si nō constet de corpore delicti, hoc est, delictum quod quis confitetur reuera fuisse perpetratum, confessio non attendatur, nec vigore eius iudex ad condemnationem confessi procedere possit: in ijs scilicet casibus, in quibus remanet vestigium delicti, vt supra quoq; attigimus.

CXXVI.

Si vero de tali crimine confessus sit quod vestigium non relinquit, procul dubio ex sola confessione Rei, condemnationi locus est.

CXXVII.

Tertio ad hoc vt torturæ subiectus confitens delictum, vi confessionis condemnari possit, necessario requiritur, vt cōfessionem extra torturam quoq; coram iudice ratificet.

CXXVIII.

Nec sufficit, quod tacite perseueret in confessione, illam non reuocando, sed opus est quod illam expresse ratificet apud acta.

CXXIX.

Quæ quidem ratificatio non statim post finita tormenta fieri debet. Præsumeretur enim adhuc durare metus tormētorū: sed spacium aliquod temporis, quod iudici videbitur expectandum est. Is pro qualitate torturæ illatæ iudicabit, quanto temporis spatio præsumatur cessasse dolor ac metus tormentorum.

CXXX.

Quod si vero Reus cōfessionem in tormentis factam, postea reuocet, & delictum neget, condemnandum eum nō esse sed iterum torquendum putamus.

CXXXI.

Et si iterum fateatur in tormentis ac postea neget, vsq; ad trinam vicem repetenda esse tormenta non dubitamus.

CXXXII.

Vltra vero trinam vicem non: nisi iudici videatur Reus dolorem torturæ non sensisse. Sæpe enim compertum est eiusmodi Maleficos ope Diaboli ita adiuuari in tormentis, vt dolorem non sentiant.

CXXXIII.

Et (vt ait I C. in l. 1. §. quæstioni fidem D. de quæstio.) plerique; patientia siue duritia tormẽtorum, ita tormenta cõtemnunt vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit.

CXXXIV.

Sed nunc de pœnis Maleficorum videamus. Et iure quidem Diuino mortis pœnam in eos statutam esse patet. Siquidem contra Maleficos clamat Dominus: Maleficos non patieris viuere, eamque Lapidationis, dum dicitur: Vir siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, &c.

CXXXV.

Quo vel solo apparet quã iniqua sit eorum sententia, qui nescio qua pietate Reipub. perniciosa ducti, huiusmodi hominum, qui merito ab Impp. Valent. Theodos. & Arcadio communis salutis hostes appellantur, patrocinium suscipere, eosque ab omni supplicio vindicare non dubitant, ex eo quod Maleficium in rerum natura fieri negent, sed mera somnia & illusiones Dæmonis esse asseuerent. Cum tamen non in veteri solum lege sed posterioribus quoque Imperatorum constitutionibus morte mulctandi sæpius pronuncientur.

CXXXVI.

Sicut autem mortis pœna Maleficos afficiendos esse cõ-

stat, ita in incerto est quonam mortis genere. Qua in re locorum & prouinciarum consuetudines inspiciendas esse censemus.

CXXXVII.

Nostris in partibus Maleficos flammis exurendos consuetudo docet, quemadmodum & antiqua Constantini Imp. constitutio Auruspices & Necromanticos concremandos esse statuit.

CXXXVIII.

Sed notandum est si condemnatus pœnitentiam agat, eũ non esse viuum comburendum, sed laqueo prius suffocandum, ne scilicet in desperationem propter intolerabilem & lentum dolorem inducatur pœnitens: Si vero pœnitentiam non agat, sed in malo pertinax persistat, viuum comburendum esse.

CXXXIX.

Si tamen in aliquo casu ob singulares circumstantias criminis atrocitas postularet, indifferenter viuum ignibus tradendum esse existimamus, vt etiam communis praxis & iudiciorum consuetudo approbat.

CXL.

Præter pœnam autem vltimi supplicij, cõfiscationi quoque bonorum locum esse putamus.

CXLI.

Ita vt nec filijs & alijs cognatis bona damnatorum reseruanda sint.

CXLII.

Ergo & suprema Malefici scriptura, aut quælibet vltima voluntas, siue testamento, siue codicillis, siue epistola, siue quolibet alio modo relicta, irrita erit.

CXLIII.

Et hæc in eo locum habent qui indicijs legitimis conuictus,

ctus, crimenq; confessus est: Si vero reus pluribus indicijs laborans plene conuictus non sit, nec confessus, iustè eum ad perpetuos carceres condemnari posse putamus.

CXLIV.

Nulla enim ferè inter extraordinarias pœnas perpetuo carcere conuenientior videtur huic crimini.

PARERGA.

I.

IVRIS Canonici definitioni standum est etiam in ditione Imperatoris, ijs in casibus, qui non clarè decisi sunt iure ipso Cæsareo.

II.

Authoritatem Doctorum ac Interpretum nostrorũ multum ponderis ad causarum decisionem, & difficultatum Iuris explicationem habere, meritissimo iure putamus, firmissimumq; ex eis argumentum esse dicimus.

III.

Iudicem, habitis legitimis indicijs, regulariter ex officio inquirere posse in omnia crimina, & omnes delinquentes, tàm Canonico quàm Ciuili iure existimamus.

Has de Maleficis & Sagis Theses, nihil aduersus fidem bonosque mores, continentes, dignas censeo, quæ ad disputandum proponantur.

MICHAEL EISELIN de Societate IESV, Colleg. Theologici pro tempore Decanus.

Has de Maleficis & Sagis Theses legi, easque vt typis excudantur, & publicæ disputationi proponantur, dignas iudico.

IOACHIMVS DENICH I. V. D. & hoc tempore Collegij iuridici Vicedecanus,

ODE

ODE SAPPHICA

DOCTISSIMO ORNATISSIMOQVE IVVENI IOANNI CHRISTOPHORO FICLERO, I. V. S. hasce Theses defendenti, congratulationis ergò, inscripta.

O THEMIS, *legum cui fida cura est,*
Vise mortales, stratagema cerne,
Hic tuus quantos subeat labores
Iuris alumnus.
Grande cum doctis inijt cateruis
Spontè certamen, duce sub perito,
Non timens vafrum νομικῶν *sophisma,*
Tela nec vlla.
Impulit flagrans iuuenem cupido
Vera noscendi, THEMIDOSQVE *sacræ*
Ardor insignis, pariter futuri
Fructus honoris.
Tu THEMIS, *nostri pugilis memento,*
Approbes durum iuuenis laborem,
Quem tui causa, studio libenti,
Fortis adiuit.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ.

Ἴθι πρόθυμος, τιμαλφὴς ἠδὲ εἴκοτα θρύπτε,
Χέσματα προφρονέως: νίκαθρον ὥς σὸν ἔσῃ.

Latinè, ad verbum.

Esto animosus, cautus, & missa comminue
Tela prudenter: victoriæ præmium vtique tuum erit.

M. IOANNES LESCHER SALISBVRGENSIS, Sereniſſimi vtriuſque Boiariæ Ducis, GVILIELMI, nobilium puerorum Præceptor.

CARMEN HEROICVM,

AD ORNATISSIMVM DOCTISSIMVMQVE IVVENEM IOAN. CHRISTOPHORVM FICLERVM. IOAN. BAPTISTÆ F. LL. Cand. affinem ſuum.

M. SIMONIS KÖNIG RISDISSENSIS, I. V. Studioſi.

ET dubitamus adhuc fortes ex fortibus; atque
Ex aquilis aquilas naſci? ex Heroibus auſu
Magnanimo Heroes? venit à radicibus humor,
Atque patrum fluit in natos cum nomine virtus.
Scilicet ô Iuuenis, dum primæ tempora vitæ
Altiùs intueor, pulcherrima ſigna recurſant
Indolis egregiæ clarum referentia patrem,
Patrem iudicio multùm qui præfuit acri,
Atque præſt varijs etiamnum tempore noſtro
Conſilio mira Magnatibus arte polito.
Vſque SALISBVRGI *probat Archiepiſcopus ipſum,*
Gloria Reitnauiæ gentis THEODORICVS *ingens.*
Quis modò commemoret? quàm forti pectore & armis
Prælia miſcuerit gens hæc? quis bella canendo
Explicet? inſtructas quoties paruo agmine turmas
Vicerit? attuleritq; ſibi victoria laudem?
Princeps hanc cælo dudum illuſtriſſimus alto
VVOLFGANGVS laude æquauit THEODORICVS *ima,*
VVOLFGANGVS ſine labe trahens breuis otia vitæ.

Hoc

Hoc quoque Boiorum Dux cum genitore sereno
MAXMILIANE probas, quem prisca propago parentum,
Quem pietas, quem sacra Themis, quem bellica virtus
Armorumq; sagax vsus, non cætera dicam,
Terrigenis notum sublimi æquauit olympo.
Talia IOANNES olim BAPTISTA vir arte
Consilioq; potens, rerum præclarus & vsu
Multarum, tua scripta typis vulgata probârunt;
Qui totas quoties noctes ad lampada ducas
Impiger immensi voluendo volumina Iuris
Non referam, nec perpessos peragrando labores,
Ne fortè incutiant malè percensita pudorem.
Nostra sed heu nimium classis de calle recedit,
Singula dum capti circumuectamur amore.
Phocida nunc reserate Deæ, Themidiq; sacratos
(Magnum opus incumbit iuueni) recludite fontes.
Dicite (vestro opus auxilio) cur ordine longo
Docta cohors acies paret, & cur bella minetur?
Haud secùs ac dubijs miles generosus in armis
Marte sub infenso, manet imperterritus hoste
Coram expectato quondam, multa agmina circum
Audax atque alacris, casusq; paratus in omnes:
Sic etiam dubios firmato pectore casus,
Nil metuens FICLERE venis in vtrumq; paratus,
Anné dabis terga? & victum te hæc turba videbit?
Dij magnum prohibete nefas; auertite casum,
Degeneres animos timor arguit, en age forti
Pectore nunc opus est, vocat en vocat hostis in arma,
Arma fer, arma citò ingemina, ingeminaue furores
Palladis, instructas bellando vince phalanges.
Sub duce FACHINEO, quo vix præstantior alter
Finibus in nostris legum iurisq; peritus,

Signa reportabis victricia, laudatumq́,
Sic patrem æquabis, sic te noua gloria tollet.
Alcides vatum labor est, quia perculit aprum
Ense Erymantheum, qui quondam gutture auaro
Vndiq; vastabat terramq́, & ouilia, & vrbes,
Immanesq́, hominum strages (miserabile dictu)
Parturiens, populos luctu cruciabat acerbo.
Quid grauiora sequar? monstrum Tyrinthius Heros
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.
Hoc magnum virtutis opus, memorabile prisco
Tempore; sed maius doctrina extendere famam,
Et varia virtute virûm volitare per ora.
Eia igitur FICLERE *ausu doctissime victor*
Insigni, tandem magnis, defuncte periclis,
Gaude & lætifico perfundas pectora plausu,
Et tibi lecta cohors victricem flore coronam
Emeritumq́, decus lingua gratetur ouanti.

FINIS.